

VIRI,
 DVM VIVERET,
 PRAENOBILISSIMI, ICTISSIMI, AMPLISSIMI
 ATQVE EXCELLENTISSIMI,
THEODORI
Bols,

I. V. D. ET PROF. ORD. SECVND.
 AVGVSTI BORVSSIAE REGIS IN COLLEGIO PVPIIIORVM
 CVRAM AGENTI A CONSILIIIS, VRBIS REGIOMONTANAE
 CONSVLIS, ET SENIORIS ACADEMIAE,
 MEMORIAM
GRATAE POSTERITATI
 COMMENDANT
RECTOR, CANCELLARIVS,
DIRECTOR ET SENATVS
 REGIAE ACADEMIAE REGIOMONTANAE



REGIOMONTI,
 LITTERIS HARTVNGIANIS.



in studium, ea discendi, quae reipublicae sunt salutaria, & iuuentutem optimis vtilissimisque artibus erudiendi, laude omnino dignum est; si pertinacem laborem, quo senes magis quam senio ipso conficiuntur, palam commemorare fas est; si denique aetas hominis vsque ad extremum vitae terminum prouecta amplam materiam, benignitatem supremi Numinis immensam, potentiam & sapientiam pie grateque laudandi, offert: omni iure Viri Praenobilissimi, **IC**tissimi, Amplissimi atque Excellentissimi, **THEODORI Boltz**, Iuris vtriusque Doctoris & Professoris Ordinarii Secundarii, S. R. M. in Collegio res pupillorum quondam curanti a Consiliis, Consulibus Urbis Regiomontanae & Senioris Vniuersitatis nostrae litterariae, memoriam conseruamus. Cui officiorum generi tanto magis nos videmus obstrictos, quanto magis pietate in **DEVM** a Viro Venerando in aduersis non minus, quam in secundis rebus declarata ad studium Diuinae prouidentiae vestigia in vita Eius admirandi, & lecturos ad debitum hoc Supremo Numini negotium excitandi, incendimur.

Vitam ipse **DEI** auspiciis debuit Viro Magnifico & Iure-Consultissimo, **IOHANNI CHRISTOPHORO**

BOLTZIO,

BOLTZIO, I. V. D. & Antecessori Secundario, Augusti Borussiae Regis in Tribunali Consiliario, Venerandi Consistorii Sambiensis Praefidi ac Officiali, qui, quamquam aliis iisque grauissimis negotiis satis occupatus fuerat, annorum **XXXVII.** spatio fideliter & cum fructu Iuris scientiam docuit, consiliis prudentiae plenis rem Academicam iuuit, & Reſtoratu septies summa cum sapientia ac humanitate gesto collegas & ciues suos sibi deuinxit, quem adeo inter decora sua Vniuersitas nostra aeternum commemorabit: Matre natus est, Femina Ornatissima, **ELISABETHA BREDELOVIA;** quorum Parentum secundus nascendi ordine filius erat.

Licebit hoc loco Maiores, vnde Noster ortus est, laudare; quippe qui Eorum memoriam summo studio diligere, & quo exempla domestica facilius imitari, haecque sibi carissima Nomina aliis de meliori commendare posset, tabulas vitae ab iisdem bene actae rationem exponentes omni cum diligentia conquirere & colligere consuevit. Laedere nobis videremur piam Viri voluntatem, qui quacunque sibi oblata occasione Maiorum suorum merita ab oliuione vindicauit: si in monumento virtutibus Eius dedicato Eorum nomina desiderari pateremur, quos a puero

ero omni amoris & venerationis cultu prosequutus, quosque aemulatus est.

Auius Nostri paternus, Vir fide ac morum integritate conspicuus, ELIAS BOLTZ, Scabinatus Instroburgensis Assessor, in coniugio habuit Nobilissimam ELISABETHAM FICHLAVIAM. Maternus Auius, Vir Amplissimus, IOHANNES BREDELO, Senatus Palaeopolitani in Vrbe nostra Membrum, vxorem duxerat Matronam virtutibus sexus sui Condecoratissimam AGNETEM e Generosa Gente *der von Drachstedt* ortam, BERNHARDI GOEBELII, Mercatoris florentissimi, viduam, quae LXXXIII. annos nata diem obiit. Auiua paterna Patre IOHANNE FICHLAV, Senatore Palaeopoleos Grauiissimo, & Matre, Matrona Praenobilissima, BARBARA KRAMPFFIA, orta est. Materno auo Parentes fuere HENRICVS BREDELO, Patricius Bremensis, HENRICI, Honestissimi Senatorii Ordinis Viri, & ELISABETHAE e Gente ESICHIORVM, Bremae ab Anno *clcccLXXVII.* inde nobilissima, filius, & CATHARINA MEYENREISSIA. Proauus Vir Consultissimus, BARTHOLOMAEVVS DRACHSTEDT, Pro-Consul & Scholarcha Palaeopolitanus, veneratus est Patrem BARTHOLOMAEVM, Salinarum, quae Halae Saxonum sunt, Directorem, Matrem, AGNETEM, ROGII, Electoris Saxonici Consilarii & Cancellariae Praefecti filiam; & vitae sociam
habuit

habuit Matronam omnibus sexus sui dotibus conspicuam, ELISABETHAM, Parentibus HENRICO PERBANDT, Scabinorum in vrbe Regiomontana Magistro, & ELISABETHA GEELBEHRIA in lucem editam, & CASPARI GEELHAR, Serenissimi Electoris Brandenburgici in collegio Summorum Virorum Borussiae Sacra vice gubernantium a secretis, viduam.

Eodem, quo vitam ingressus est, die V. Octobris *cllccLXXX.* Parentes Optimi Nostrum fonte sacro lotum Numini Supremo reddidere, & vt gratos erga Diuinam benignitatem animos declararent, infanti THEODORI imposuere nomen. Neque intermissum est quidquam, quo ingenium Nostri Maioribus dignum & capiendae virtuti optimisque artibus aptum ad easdem accurate formaretur. Post domesticae educationis curam sapientem ac sollicitam publicorum Scholae Loebnicensis doctorum, maxime vero Viri Clarissimi & egregie docti, M. MICHAELIS HOYNOVII, tum hoc Lyceum regentis, post ad Palaeopolitanum gubernandum euocati, fidei traditus est. A. *cllccxc.* a. d. XII. Kal. Quinctil. quo Magnificum IOHANNEM STEIN, Rostochiensem, tum Professore Iuris Extraordinarium Designatum, posthac S. R. M. in Tribunali Consiliarium, Consistorii Sambiensis Praesidem & Antecessorem Primarium,

Facultas nostra Iuridica summis honoribus orna-
uit, Noster Viro huic, eodem die cum sorore
Ipsius vterina nuptiarum sollemnia celebranti,
pro more temporis quaestionem Doctoralem pro-
posuit.

Diligenti Praeceptorum suorum institutione
factum est, vt Anno seculi superioris XCIII. ani-
mum ad seueriores disciplinas appellere potuerit.
Tum egregio laudati HOYNOVII testimonio muni-
tus litterarum humaniorum amorem atque vsum
in Academiam nostram attulit. Sacramentum so-
lemne XXV. Sept. d. a. Patri, Reçtori tum ter-
tium Academiae, dedit; postquam iam A. f. f.
LXXXV. a. d. Iulii sub Decanatu Viri Admodum
Reuerendi & Spectabilis, M. BARTHOLOMAEI
GOLDBACH, Historiarum Professoris & ecclesiae
Palaeopolitanae Archi-Diaconi, sequenti vero
tempore eiusdem coetus Pastoris & Consistorii
Sambiensis Assessoris, ritu depositionis initiatus,
& XXVIII. eiusdem mensis die a Parente, cui ea
aetate Vniuersitas nostra primum detulerat Recto-
ris prouinciam, in matricula inscriptus erat.

Iam Virorum Doctissimorum vsus manu-
datione ea politioris litteraturae posuit fundamen-
ta, quibus postea solidae iuris scientiae apparatus
superstrueret. Artem bene ornateque dicendi
perce-

percepit ab Oratore nostro Ordinario Excellen-
tissimo, M. MICHAELE SCHREIBERO, qui post Docto-
ris Theologiae insignia consecutus, & Professo-
ris in Facultate hac Veneranda Ordinarii, Consi-
storii item Sambiensis Consiliarii, ac Coetus Cnip-
hofiani Pastoris muneribus grauissimis ornatus est.
Felix a natura ingenium duce Viro Praenobilissi-
mo, M. BALTHASARE BOY, Prof. Poet. P. coluit, cu-
ius praelectiones Poeticas frequentauit. Analyticae
scientiae praeceptae Viro Celeberrimo M. PAVLO
RABE, Graecae tum Litteraturae, post Logices &
Metaphysices Professore, audiuit; quibus studiis
linguae Graecae culturam, RABIO etiam Praecepto-
re vsus, iunxit. Ethicam, Politicam, Geometri-
am & Architecturam Militarem didicit, praeeunte
Excellentissimo M. ANDREA HEDIONE, Logices &
Metaphysices P. P. Alumnorum Inspectore Pri-
mario, & Bibliothecae arcis Praefecto, cuius in se
merita grato semper animo commemorare soli-
tus est. Viri Praenobilissimi, M. GEORGII THEGEN,
Philosophiae practicae Professoris, lectionibus &
Collegiis disputatoriis interfuit. Quantos in arti-
bus elegantioribus progressus fecerit, eruditionis
speciminibus comprobauit, cum sub Praesidio
laudati SCHREIBERI publice Theses ex vniuersa Po-
litica depromtas, & A. cl. l. c. XCVIII. a. d. XXVIII.
Augusti Praeside GEORG. THEGEN Dissertationem
de

de tyranno, suo Marte conscriptam, multa cum laude defenderit. Postquam diligentiam suam, qua disciplinas humaniores tractauerat, disputando Viris eruditis commendasset, facundiae etiam documentum dedit, cum Patriae Patris haud ita pridem Regio diademate ornati Natalem auspiciatissimum Anno seculi nostri primo Oratione de sollemnibus ipso Coronationis Regiae die visis & auditis, habita & typis exscripta celebrauerit. Contigit ea tum BOLTZIO Patri Magistratum Academicum quintum gerenti felicitas, quae inter maximas omnino referenda, ut quatuor filios, virtutis suae aemulos, in panegyri Academiae eloquentia & pietatis in Augustum significatione laudem consequi videret. Quippe vna cum THEODORO nostro vota pro Principe Indulgentissimo nuncuparunt Fratres iam ante Nostrum vita functi, IOHANNES, qui posthac Iudicii Borussiae Aulici Consiliarius, CHRISTOPHORVS, qui Regis in Tribunali a Consiliis erat, & FRIDERICVS, cui sequenti tempore summi in Philosophia honores, & Verbi Diuini Ministri munus Fischhusae, in pagisque Legitensi & Georgenauensi conferebantur.

Studiis humanitatis strenua opera absolutis, Ictorum in Academia nostra Celeberrimorum scholas adiit; maximeque sub auspiciis Parentis erudi-

eruditionis laude insignis iusti atque iniusti scientiam sibi comparauit. Frequentauit item Collegium Disputatorium Viri Magnifici, THEODORI PAVLI, I. V. D. & Prof. Primarii, S. R. M. in Tribunali & Aulae Consiliarii, ac Iudicii Aulici Criminalis Praesidis, in quo cum Filio Eiusdem, Viro iam annis, honoribus, meritis graui atque illustri, THEODORO CHRISTIANO PAVLI, quem adhuc I. V. Doctoris, & Consiliarii Regii in Summa Appellationum Regni Borussiae Curia ac Collegio pupillari titulis muneribusque ornatum venerari licet, & Fratrem IOHANNE BOLTZIO certans se praestitit laude dignum. Nam Iudi huius Moderator doctissimus, in scripto, lectiones Nostris cursorias annuncianti, se in Eum iniuriam fore, ait, si reticeret, eundem ultra sesqui annum huic exercitorum generi diligentem nauasse operam, nec, dum eo paratus semper accesserit, vnquam ore aliquid protulisse, quod non prius in intellectu fuerit. Percepit item Iuris disciplinam a IOHANNE STEIN, quem ante iam laudauimus, Compendium LAVTERBACHIANVM, ac V. C. STRYCKII examen Iuris Feudalis explicanti, & a Consultissimo Licentiato & Prof. Extraord. IOHANNE HENRICO HOYER, in cuius palaestra artem disputandi multa cum laude coluit. Quae ex ore Antecessorum excellentissimorum hauserat, lectione propriaque meditatione auxit; ideo diligentiam Nostris

Viri sapientissimi plausu excepere, quum Dissertationem STEINH de feudis XImam publice defenderet.

Iam dignitatis Academicae petendae consilium cepit, quia cupidissime Ordo Ictorum Eum fratremque IOHANNEM ornauit. Quippe Anno seculi huius primo, postquam XXX. Martii die in examine consueto Facultati eiusque Decano Spectabili, CAROLO HENRICO CHARISIO, D. & Prof. P. Regio Consiliario Aulico, in Consistorio Sambienfi Assessori, ac Supremarum Curiarum Aduocato, eruditionem suam probasset, & in defensione Disputationis XXXVIII. ad ff. a Patre editae exercitatos Athletas mascule imitatus esset, I. V. Candidati gradum cum facultate priuata Collegia habendi obtinuit.

Quem locum sic tuitus est, vt ordo Ictorum sequenti Anno XV. April. declarauerit, se Eum quamprimum summo in Iure honore aucturum esse. Vires suas docendo satis expertus tandem A. clō Icccv. a. d. XVIII. Februarii Iura & Priuilegia Doctoris decenter sibi expetiit, & in tentamine, quod XII. Maii, in examine riguroso, quod XVI. eiusdem subiit, in explicatione item textuum Iuris Ciuilis atque Canonici Antecessorum expectationi, quaestionibusque propositis ita respondit, vt dignus haberetur, cui summum diligentiae Academicae conferretur

prae-

praemium. Cursoriam, quam vocant, lectionem XXV. XXVI. XXVIII. & XXIX. Maii diebus in l. XXXIV. pr. C. de episcopis audiendis habuit, & Disputationem inauguralem de personis ad Consistorium spectantibus sine Praeside mascule defendit. Anno sequenti XXI. Ianuar. sub Pro-Rectoratu Viri Magnifici, IOHANNIS HENRICI STARCKE, Phil. & Med. D. Medicae etiam scientiae Prof. Prim. Regis a Consiliis Aulicis & Archiatri, ac Caesareae Academicae Nat. Curios. Sodalis, ab Affini suo, D. Io. STEIN, in templo cathedrali Doctor renuntiatus est: quae promotionis sollemnia, luctus quidem publici tempore, ob singularem tamen Regis indulgentiam, solitis tum caerimoniis peragebantur. Pro more aetatis illius in actu hoc erudite respondit ad quaestionem Doctoralem, vtrum reditus Ministrorum verbi Diuini Simoniam sapiant? prolatam a puero ingenuo, Nostrique e sorore vterina Nepote, CHRISTOPHORO GODOFREDO ERASMI, qui post Liberi Baronis DE HVLDEBERG cognomento, quod Patruus Illustris Caesari Augusto acceptum retulit, ornatus, & in exercitu Austriaco Tribuni Vicarii spartam adeptus est.

Concredita BOLTZIO sunt varia munera Academica, Viro solidioris iurisprudenciae laude conspicuo digna. Quippe a Rege FRIDERICO I. Gloriosissimae memoriae, A. clō IcccVII. in numerum Professorum Iuris extraordinariorum receptus;

sub

sub Regimine vero Regis FRIDERICI GVILIELMI, A. f. h. XXXII. Professionem Ordinariam Quartam, quam Excellentissimus CONRADVS STEIN, Iudicii Criminalis Aulici Assessor, Ciuitatis Regiomontanae a Consiliis, & Supremarum Curiarum Aduocatus, morte sua vacuam reliquit, & anno sequenti locum tertium inter Antecessores consecutus est, ex quo tum ad secundum Vir Magnificus REINHOLDVS FRIDERICVS SAHME, S. R. M. in Consistorio Sambienſi a Consiliis, & Superiorum in Regno Borussiae Iudiciorum Aduocatus, quem post Professoris Primarii, Cancellarii Academiae & Directoris, Senatus ecclesiastici Praesidis, Tribunalis item ac Collegii pupillaris Consiliarii muneribus amplissimis & praerogatiua equestris ordinis ornatum vidimus, promotus erat. Tribus elapsis annis cum SAHMVS Primarius constitueretur, Nostro quidem spes secundae Professionis obtinendae affulſit; sed fato accidit, vt demum A. R. S. cl. l. cc. L. a. d. IV. Novembr. voti sui compos redderetur, quo in locum mortui ICTissimi D. DANIELIS NICOLAI, Regis in Suprema Appellationum Curia & Collegio commerciorum a Consiliis, Consulis item Ciuitatis Regiomontanae, cuius vices per triennium sine vlllo emolumento gesserat, successit, in Senatum Academicum a Viro Summe Reuerendo, FRANCISCO ALBERTO SCHVLTZ, S. S. Theol. D. & Prof. Ord. Augusti Borussiae Regis in Collegio ecclesiastico & Consistorio

quae ita adoleuit, vt in pietate Eius erga immortalem DEVM, & moribus commodissimis Parens suaviter acquiesceret. De praemio curae, quam ad educandam Filiam contulerat, gratulari sibi potuit; cum venustatem Eius atque modestiam cognosceret Vir Illustris IOHANNES PAVLVS BEYER, S.R.M. tum in Camera belli & redituum a Consiliis, posthac in Generali & Supremo negotia aerarii Regii administranti Collegio Consiliarius Intimus, &, si Ipsam vitae futurae sociam haberet, beatus sibi videretur. Nobilissimam & varia virtutum laude praestantissimam Virginem A. clo lccc XXIV. V. Septembr. die, qui Eiusdem natalis XVII. erat, domum duxit, ex quo coniugio iucundissimo nata sibi prole numerosa gauisus est. Nati maxima Neptis Viro Prae nobilissimo, SCHVLTZE, Augusti Regis a Consiliis Aulicis, matrimonio Berolini iuncta, & Mater facta duorum filiorum triumque filiarum, ibidem iam Marito & liberis masculis orbata cum filiabus commoratur. Nepos nascendi ordine primus BOGVSLAVS CHRISTOPHORVS FRIDERICVS, qui in Academia nostra praelectionibus Aui Optimi & Celeberrimorum Doctorum assiduus interfuit auditor, publica etiam eruditionis specimina edidit, posthac in Oppoliensi Silesiae Principatu Regii Consilarii in Iudicio, quod die Ober-Amts-Regierung vocant, Consistorio Superiori & Collegio pupillari muneribus functus est, nunc vero eadem in Bregensi administrat, e Coniu-

ge sua tres filios, quorum tamen vnum mors praematura sustulit, vnamque filiam suscepit. Secundam natu Neptem, quae Parente Illustri mense Decembri A. cō IcccLIV. rebus humanis exempto, vna cum Matre huc delata est, Vir Praenobilissimus, SAMVEL BOETTICHER, S.R.M. in Collegio Commerciorum a Consiliis, & Mercator felicissimus, tori sociam habet, ex eaque natam sibi hoc ipso anno filiolum osculatur. Tertia cum Negotiatore Berolinensi HEYL coniunctissime viuit. Nepos alter, WILHELMVS ERNESTVS, & tertius, GEORGIUS FRIDERICVS, qui Berolino huc etiam migrauerant, mansuetioribus apud nos studiis occupati, belli vero iam compositi tempore Martis castra sequuti, adhuc in exercitu Borussico stipendia merentur, ille Optionis in centuria, hic Signiferi muneribus fungentes.

Post obitum DEVTSCHIAE suae Carissimae animum BOLTZIUS ad iungendam sibi Lectissimam Virginem, ELISABETHAM, Parentum Honoratissimorum, IOHANNIS BREDELO, Senatus res veteris in vrbe Regiomontana oppidi dirigentis Secretarii, & ELISABETHAE, Viri Praenobilissimi, GEORGH CASSEBURG, idem in hoc Collegio negotium debita cum dexteritate gerentis, filiae, vnicum amoris conjugalis pignus, quae XVII. Martii A. sec. sup. LXXXVIII. nata, & eodem, quem Noster venerabatur, Auo, eademque Auia orta fuerat. Sed nouum expertus est exemplo rerum humanarum in-

con-

constantiam, in quibus nulla felicitas ita perpetua est, quin calamitate inopinata admisceatur; quippe, postquam cum Eadem sponsalia A. h. f. IX. a. d. VIII. Aprilis contraxerat, ipso XXI. dicti mensis die, quo nuptiae mox celebrandae in coetu sacro indicabantur, mane morbus Sponsam inuasit, quem in dies ingrauescentem mors Nostro luctuosissima XXVII. Maii sequebatur.

Exoptatum moeroris solatium BOLTZIUS inuenit in Virgine oris & animi dotibus instructissima, ANNA MARIA, quae Parentes laudabat Virum Praenobilissimum insignibusque in Historiam Poloniae & Borussiae meritis conspicuum, DAVIDEM BRAVN, Augusti Borussiae Regis a Consiliis aulae, rerumque ad Elbingense territorium pertinentium Directorem, & primam Eius Coniugem, ELISABETHAM, DAVIDIS ERDMANNI, Consulis ciuitatis Mariaeburgensis, filiam, qua Matre XXI. Nou. A. S. cō Icc LXXXVIII. nata erat. Nuptialibus sacris a. d. X. Februarii A. seculi nostri X. ipso pestis & belli tempore rite peractis noua Coniux rem familiarem prudenter tractauit, filiae, quam e superiori coniugio Noster susceperat, maternum praestitit amorem, eaque virtutum suarum documenta dedit, quae Ipsam omnibus suo merito redderent carissimam. Quam diu vna viuere licuit, vna duos rexit voluntas, & quem virtutum similitudo primum conciliauerat, amorem studiorum perpetuum seruauit concentus. Contigit

git Pari huic felix quinquaginta fere annorum so-
cietas; sperarunt iam aetate graues Coniuges, se
piis Diuinae benignitatis laudibus Iubilaeum nu-
ptiale esse celebraturos. Sed aliter DEO visum. Eo-
dem enim tempore, quo Noster coniugium suavis-
simum sollempni ritu & festis caerimoniis denuo in-
augurare voluit, dimidio sui orbatus, vix habuit,
quod animum suum Exoptatissimae Coniugis di-
scessum dolentem solaretur. Decrescentibus sen-
sim viribus Eadem inter lacrimas ac preces Mariti
a. d. XII. Martii A. clōlōcc XLIX. animam caelo
reddidit.

Fractus iam tot laboribus & aerumnis Senex no-
ster id vnice curauit, vt mortem instantem laeto
exciperet pectore. Compos voti sui factus, &
sopore oppressus, mundo rebusque caducis XXX.
Iunii A. R. S. clōlōcc LXIV. nouissimum dixit vale.

III Quod mortale BOLTZII fuit, in Conditorio, vbi
Professorum Academiae nostrae cineres asser-
uantur, VI. Iulii dicti anni depositum est; anima
vero Seruatoris sui meritis sancta ad beatarum men-
tium domicilia translata a multis molestisque in
vita peractis laboribus suauiter acquiescit. Memo-
riam Senioris sui de iuuentute studiosa bene
meriti Academia Regiomontana
semper conseruabit.

I. F. W.

